

poris admitti tanta sui pars aut particula, vicissim non excutatur, exturbetur, ejiciatur, extra complexum quo corpus admisum ab illo toto continetur.

§. 15. Nam licet corpus, in partes quasdam à se mutuò separatas divisum, recipere possit aliud corpus inter interstitia partium illarum separatarum; tamen intra substantiam ipsam totius partiumve suarum propriam, interstitiis alienis carentem, & verè quaquàversum ex proprio continuam, recipere corpus unum aliud non potest, quod sic ingrediatur, ut illud penetret, sed infinità quasi vñ quodvis corpus aliud corpus eatenus excludit, ipsamque *penetrationem* sui corporalem abhorret, ut corpus à corpore sui quasi juris maneat. Aliud autem est, si spiritus accedat; nam hic, ut intensiva substantia, penetrare corpus omninò potest.

§. 16. Hâc Impetûs continua propagatione per plura corpora, tanquam impenetrabilia contiguè sita, fieri solet, ut corpus unum videatur alterum movere pro se (videlicet illis ita videtur, quibus primus Motor non apparet: ) item, ut corpus in aliud à se longè remotum agere videatur sine medio (videtur autem illis ita, quibus intermedia corpora non apparent, ut quæ subtilitate suâ sensum, præsertim visionem, effugiunt, ut cœlum, & aër. ) Imò, cùm motus localis, utpote transversalis & alternativus, in orbem recurrere possit, impetûs propagatione similiter in orbem dirigibili fieri solet, ut inter corpora contigua talis motus in orbem obtineri posse videatur, ut si semel fuerit impetus impressus, idem postea continuo perseveret, adeoque mobile perpetuam ex ipsis corporibus, externo sollicitatore non amplius requisito, secundum artem componi possit.

§. 17. Quæ quidem imaginatio spuris quibusdam in orbem recursibus perpetuis, h. e. aliquousque continuò motis machinulis, genuino principio non apparente, vulgò maximè confirmata fuit, quasi *mobile perpetuum*, & quidem Artis ope tantum, ita semel constitui possit; ut, externò naturæ motu nequicquam requisito, pro se semper in orbem recurat. Quod pro difficili quidem sed possibili tantoque magis honorabili quodam & glorioso machinamento tantum non totus mundus perperam veneratur.

§. 18. Sed